

mouendis affectibus tractat, conferrem. His adiūxi lectionem Rhetoricæ Ecclesiastice Ludouici Granatensis Monachi Dominicanī, eloquentis alias & docti: consului & Didaci Stelle, itemque Iacobi Peresii, & nonnullorum aliorum Pontificiorum de eodem argumento editos libros. Dum tandem ante annos circiter tres amicus quidam meus communicaret mecum manuscriptum libellum, in quo consignata erant præcepta quædam & regulæ, atque obseruationes ad concionandi præx in pertinentes, quas olim Clarissimus ille Chronologus & concionator Silesiæ eloquentissimus ac mirè patheticus Abrahamus Bucholcerus dictârat amanuensi suo, tumultuarie quidem & nullo ordine aut methodo & stylo etiam partim vernaculo, partim Latino, prout quidlibet prius vel posterius in mentem venerat; sed tamen ita ad docendum & mouendum saepe utiles atque accommodatas, ut eas putarim in primis ad usum meum obseruandas; & quæ ille dispersim, & paup. dōs notârat, in certos titulos ac locos communes referenda. Cum ergo ciusmodi qualem cunque apparatus penes me esse comperissent aliquot Theologiæ studiosi, sacri ministri candidati, cœperunt instare, ut præcepta Rhei-